

05 A 2487

05

A

2487









2 (21)

Q. B. V.

ECLOGA EVANGELICA  
AD EVANG. DOM. I.  
POST TRINITAT.

Quam,


SUB PRÆSIDIO  
JO. FRID. MAYERI,  
S. THEOL. DOCT. PROF. P. ALUM-  
NORUM ELECTORAL. EPHORI ET TEM-  
PLI OO. SS. PRÆPOS. SUBSTITUTI

*sententiarum collationi subjiciet*

PETRUS QVAALMANN, Lubecensis

d. XII. Junii Ao. clō Iōc LXXXVI. horis Pomeridianis

H. L. C.



WITTENBERGÆ

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.






AD EVANG. DOMI.  
POST TRINITAT.

JO. FRID. MAYERI,  
S. THEOL. DOCT. PROF. P. ALUM.  
NORMI RHETORAE EPHORI ET IEM.  
PLI OO. SS. P. APOS. SUBSTITUTI

PETRUS OVAALMANI, Lubecensis

d. XII. Junii, aetate LXXXVI. hori Pontificatus

M. L. C.



WITTEBERGA

Impressit MATTHAEUS HENCKELIUS, Aet. Typog.





## JESU FORTUNANTE!

Qv. I.

### An hoc de Lazaro & divite argumentum

historicum sit an vero parabolicum?



Acilius hic obliquos arborum ramos concilies, quam varias eruditorum super ea re prolatas opiniones componas: tantæ quidem eorum sunt distractiones & quisque illud sibi evincendum argumentis sumit firmis-  
mis, quod maximè placuit. *Cornelius à Lapide* in comment. in Lucam p. 186. opinionem istam eligit, quæ historiam esse arbitratur, secutus in eodem ex suis *Sebastianum Barradium*, qui hoc ipsum Tom. III. Concord. Evangel. p. 254. prolixius astruere conatur, & ista sibi vindicat more satis *Cornelio* familiari, cui *Sanctorum, Corderiorum* aliorumque scrinia compilasse non adeo insolens. Citat autem in sententiæ suæ probationem 1. quod parabola nomen non adjectum sit; quod procul alias dubio factum, nisi hæc ipsa rei gestæ veritas subesset. 2. quod mendicus ille nominetur Lazarus, quæ autem nominis proclamatio certum denotare hominem videtur Christi tempore judæis non ignoratum, ut saltem eo prolato omnes illum indicari intelligerent demiraturi mutatam ejus cum sorte felicissima in coelis æternam duraturam miseriam ejusque imitarentur pietatem. 3. quod cruciatus divitis non describantur aliter, ut veram redoleant historiam 4. quod in honorem La-



zari hominum leproforum patroni, multa fuerint erecta  
 templa, & nosodochia: in cuius rei probationem citat  
 extra urbis Romæ portam angelicam, ædem atque no-  
 focomium leprosis recipiendis atque sustentandis dica-  
 tum, Lazaro autem sacratum esse positum. 5. Patrum de-  
 niqve Tertulliani, Irenæi, Chrysofomi, Gregorii, Cle-  
 mentis Alexandr. Origenis, Ambrosii, Euthymii &c. au-  
 ctoritatibus rem demonstratum it, quibus adeo adversæ  
 sententiæ propugnatores sese profligasse existimat, ut  
 in sua castra transire necessum habeant. Verum enim  
 vero non tanti roboris illa sunt nec ullis superesse ictibus  
 possunt. Inverso nunc rem ordine tractabimus; & Pa-  
 tres alios objiciemus Patribus; qui prorsus illa, quæ de di-  
 vite & Lazaro ad ostium mendicante hic habentur, histo-  
 rici argumenti negarunt. Neque vero tantus est eorum  
 Patrum numerus, quo Cornelius superbie videtur; cum  
 aliqui eorum dubie satisfiant, ceu ex inspectis eorum  
 locis patebit; cum aliquibus narratio vocetur, facta eo-  
 rum *Barradio* l. c. mentione: quam vero & parabolis tri-  
 buo. *Chrysofomus* autem in homil. de divite & Lazaro, ut  
 ut homil. 6. in 2. Corinth. idem ipse pro historica hujus ca-  
 pitis veritate pugnet, notante *Adamo Conzenio* Jesuita  
 in comment. Luc. c. XVI. p. m. 152. parabolam dicit; ut  
 habet *Barrad.* l. c. p. 253. Miror autem *Cornelii* omnium-  
 que Pontificiorum calliditatem, qui invicta tela Patrum  
 testimonia objiciunt, si sibi cum ipsis conveniat; rejiciunt  
 autem vel mille Augustinos, Athanasios, Ambrosios ali-  
 osque summos Ecclesiæ Doctores ex Judicio *Thomæ de Vio*  
*sive Cajetani, Melchioris Cani*, si minus congrua sit eorun-  
 dem



dem expositio; ut non immerito Pontificiis Reverentiam Patrum subdolam tribuerit *Jacob. Laurentius* peculiari scripto, cui tit: Reverentia Patrum subdola. Sed illos habeat, diversam opinionem oppido strenue *Justinus Martyr, Theophylact. Eucherius, Gregorius Nazianz. Euthymius, Titus Bostrensis, Theophilus Antiochenus, Simon Casianus* loc. à *Barrad.* allegat. propugnant; *Chrysostomum* autem sibi potius hi vendicant, quod in illo loco ejus sit sententiæ, ubi hanc sibi sumsit materiam explicandam. Nec quicquam certi probat honor ille Lazaro in Ecclesia Romana exhibitus. Fallunt hæc vel maxime; cum satis notum sit honorem istum non modo sanctis non-sanctis i. e. qui vel hæreticis erroribus doctrinæ puritatem, vel nefandis facinoribus vitæ innocentiam contaminarunt atque corruperunt, sed & sanctis chimæricis, qui ne quidem unquam extiterint in totius universi ambitu, ceu de *Christophoro Magni* nomine cognominato, *St. Ursula & 11000.* virginibus probatum satis est, exhibitum esse, in quam sententiam legi meretur *Gisberti Voëtii* Dissert. de Sanctis Non-Sanctis & Chimæricis P. III. Disp. Select. At inquis cruciatus diviti in inferno incusati tantis recensentur circumstantiis, quas non nisi historia admittit. In illo ipso tormentorum catalogo multa imo plura, quam quæ pro historica veritate facerent, occurrunt parabolam subesse exprimentia. Non etiam vox animabus competit demortuis, quod hic de divite tamen affirmatur; multo minus tanta vox, quæ ex inferno ad cælum usque pertingat, ut audiatur; & quid Abrahamus vocem ejusmodi exaudiat? Abraham nos plane ignorare Vates divinus *Jesajas* testis est c. 63. 4. 16. conf. *B. Gerhard.* explicat. Ev-



angel. pm. 1011. Nec aqua, digitus, lingua & quæ dicuntur post mortem utriusque, non sunt historica, cum animæ corpore non consistunt. Contra hæc allata nihil faciunt, ut historicam ejus probent veritatem, quod pauper hic certo nomine *Lazarus* dicatur; cum sapissime in parabolis multa adhibeantur ornamenta. Et si nominis Lazari appositio hanc ipsam historiam probet; epulonis nominis omisio (quem aliqui Herodem fuisse putant; his autem confutantur quod 5. fratres diviti attribuantur post mortem ejus superstites, Herodem autem à morte sua nullos reliquisse fratres memoret historia conf. Conzen. l. c. p. 153. col. a.) in aliam sententiam euntibus parabolam probabit. Quo illud statim concidit nec quod non parabolæ nomen adjectum sit, non probare veram historiam; cum plures dentur in Scriptura parabolæ, quæ nomen earum non præfixum teneant; quod conferenti sacrum codicem evadet statim manifestum. Sed dabimus adjiciendum fuisse illud, Conzen, loco sæpe alleg. testatur, apud *Brugensem* in quodam codice hæc proponi verba: *ἐπιθετέον δὲ καὶ ἑτέραν παραβολὴν*; quæ ipsa quoque verba in suo vetustissimo codice & in MSS to alio exemplari legi *Theodor. Beza* in Nott. ad N. T. pm. 296. confirmat.

QV. II

*Utrum immortalitas animæ ex lumine rationis apodictice probari possit?*

Fuisse haud paucos qui animæ immortalitatem negaverint oppido clarum est, longo catalogo illos recensent *M. Antonius Narra* de Immortalit. animæ Lib. 1. & *Job. Baptista Bernardus* Tom. III. Seminar. totius Philosoph. tit.



tit. anim. immortalitas pag. 54. Hos autem sanæ rationi vim inferre cum hæc animarum perpetuitatem præciso etiam Scripturæ lumine demonstret, *Schola Conimbricensis Doctores* in tractatu de anima separata Disp. 1. a. 3. col. 568. & *Joannes Cognatus* Tract. de Animæ immortalitate, *Pintus* in c. XIII. Ezech. *Lorinus* in C. III. Cohel. v. 21. *Ignatius Derkennis* p. 559. alii adserunt, quibus scriptura expressis verbis contradicit Coh. III. 19. *Eventus filiorum hominis etiam eventus jumentis. Et eventus unus ipsis, sicut moritur hoc, sic moritur iste & Spiritus idem omnibus & præstantia hominis præ bestiis nulla, quia omnia sunt vanitas. Omnia pergunt ad locum unum, omnia sunt ex pulvere & omnia revertuntur in ipsum pulverem. Quis scit* (h. e. ex idiotismo lingvæ S. nemo hominum novit, ista enim interrogatio æquipollet negationi vid. B. Geier. in Coh. II. v. 19.) *Spiritus Filiorum Adams ascendat ne sursum, & an spiritus jumentorum descendat deorsum. Vide ad h. l. B. Lutherum (2) Immortalitatem animæ habent non ex natura sua, non absolutam neque intrinsecam, sed ex sola creatoris voluntate atq; gratia: quid enim per naturam obstaret, ut, quemadmodum ante creationem suam non extiteterunt, ita absolute rediret in nihilum? sola Creatoris liberrime agentis voluntas cum hac conditione illas creans, ne interirent, impedimento est. Ad cujus voluntatis agnitionem revelatione mihi opus est. B. Hulfemann. Brev. c. 16. th. 1. (3) Vix probare poterit natura animæ immaterialitatem (cui immortalitatis ex natura demonstrabilis Patroni omnia superstruunt argumenta) id quod vel ex ipsius animæ de anima conceptu constat, quam non nisi sub materiali quadam mihi præsentis flammulæ aut nubeculæ imagine,*



ECLOGA AD EVANGEL.

gine, omnibus aliis conceptibus qui materialibus ideis semper objecta exponunt. Unde omnino Excell. Jägerum Theol. naturalis p. 454. Placent communis Præceptoris B. Gerhardi hæc de Morte §. 164. f. m. 88. verba: *Distingui- mus primo inter RATIONES PRÆCEDENTES & SEQUEN- TES. Thom. P. 1. q. 32. art. 1. ad aliquam rem dupliciter in- ducitur ratio, primo ad probandam sufficienter aliquam radicem, secundo quæ radici jam posita ostendit congruere consequenter effectui.* Hoc posteriori modo immortalitas animæ ex lumine naturali demonstrari potest, postquam ex Scriptu- ris satis probata est. Deinde inter rationes *COGENTES & VERISIMILES: Argumenta quæ ex lumine Naturæ proferun- tur, quandam verisimilitudinis persuasionem de animæ im- mortalitate inducere possunt, sed firmum, immotum ac ἀμεταβάτωλον fidei fundamentum nequaquam exhibent. quæ à natura petitas congruentias præter Ludovicum Vi- vem, Mornæum collegit Hugo Grotius in nunquam satis laudato de Veritate Religionis Christianæ commentario Lib. I. §. 21. seqq. quem librum nuper quod mireris plagii postulavit Jacobus Spon Medicus celebris in Itinerario per Græciam & Dalmatiam, eò quod ex relatione popula- ris sui acceperit ex libro adversus Judæos & Muhamme- danos lingua Arabica scripto omnia fermè accepisse Gro- tium. Sed de omnibus illis naturæ argumentis atque con- gruentiis accurate judicat Dionysius Petavius Dogmat. Theol. To. III. Lib. I. de Angelis C. V. Rationes istas tanti non esse, quæ Christianus substernere sive fidei sive spei theo- logice in agone mortis possit, sed firmiores petendas esse ex revelatione divina. Quam verum enim & possibile est a-*  
ni-



## DOM. I. POST TRINITATIS

*mas humanas non habere proprium, antequam infundantur corporibus, tam possibile & congruens futurum, ut possint redire ad pristinum nihil, absque contraria dispositione divinâ si esset.*

Qv. III.

*Utrum animæ separatæ usque ad resurrectionem mortuorum dormiant?*

Adfirmant Psychopannichitæ, & humani hicaliquid passos fuisse plurimos Ecclesiæ Patrum erroneæque huic inhæsisse sententiæ negare non possumus: loca dabit *Job. Rainoldus* Censuræ libb. Apocryph. Tom. I. Prælect. 1. p. m. 13. quorum ocularis inspectio *Bellarminum* frustra in excusandis Patribus ingenium suum exercuisse lib. I. de Sanctor. Beatitud. c. IV. & V. docebit. Adfirmant hodiè Sociniani. Ita *Smalcus* advers. *Franzium* pag. 409. *An Spiritus ille, qui ad Deum redit & à corpore separatus est, sensu aliquo præditus sit & an voluptate aliqua fruatur ante Adventum Christi & ante conjunctionem istam novam cum corpore glorificato, quod Deus olim daturus est credentibus, valdè dubitatur: imò aliter rem se habere credimus: nempe quemadmodum corpus sine spiritu cadaver est, sic vicissim Spiritum sine corpore nullas actiones exercere posse.* Neque abluunt Anabaptistæ atq; Weigeliani. Qui vel solo præsentis Evangelio satis confundi possunt, in quo & Lazari & epulonis animabus separatis actiones omnino tribuuntur. conf. vindicias adversus Socinianorū exceptiones hujus pericopæ apud *B. Calovium* Socinismi Profligati Sect. X. Controv. III. p. m. 1040. seqq. & nota quando dormitio in Scripturis mortuis tribuitur, corporis non animæ

B

in-



ECLOGA AD EVANGEL.

intelligendam esse cum Spir. S. animarum separatarum Beatorum actiones referat Ap. V. 8. 9. Ap. VII. 9. vide ex nostris adversus Psychopannichitas omninò *B. Job. Meisnerum* de Statu Animar. separat. P. I. è reformatis ipsum *Calvinum* qui peculiariter adversus illos egit.

Qv. IV.

*Utrum animæ separate præteritorum  
memoriam habeant?*

Non jam me diffundam, quid de *Digbei* sententia tract. de anim. immortalit. c. 10. statuendum, animam separatam primo statim separationis momento simul & indivisibiliter omne scibile necessario cognoscere; sed præteritorum tantum recordatio me sollicitum habet, utrum Patris anima, viduæ, orphanorum, necessariorum, immò rerum præteritarum omnium memoriam abjecerit? cui quæstioni non de meis sed de Incomparabilis *Hülsemanni* copiis satisfaciam ex oratione, quæ in paucissimorum hodiè manibus est, quam in obitum *March. Brandeb. Dorotheæ* habuit p. 17. seqq.

*Nobis quidem quancquam aliud argumentum non suppeteret, quàm unum illud satis evidens, quod & divitis istius Epulonis anima ab impuro corpore separata, erumnarum Lazari, in mortali hac vitâ toleratarum, suæque voluptatis, & conditionis in quâ QUINQUE fratres reliquerat, satis meminit; Nulla ratione fuerit committendum, ut animas in sinum Abrabæ receptas plus inde squaloris & oblivionis contraxisse putemus, atque eas, quæ ad orcum damnata sunt. Neque verò est, ut ista mihi quisquam ad schema parabola restringat, quod eadem proprietate in hæsonis reminiscendi vim prædicaverit de animâ divitis, quâ æstum linguæ, vocem oris, digi-*



DOM. I. POST TRINITAT.

digitum pauperis & stillam refrigerii; quæ tamen in animam separata nequaquam convenire in confesso sit. Namq; & B. Augustinus isthac animabus non convenire vidit, ac proinde vix à mansuetè quærentibus, nedum contentiosè certantibus sermonis hujus proprietatem inveniri posse, docuit: At reminiscendi & intelligendi facultatem tantum abest, ut ad figuratam narrationem futuri statûs restrinxerit, ut extra dubium ponat, & tanquam ἀναμάρτητος illicò præmittat: Animas istas statu inæquales, inæqualium obsectorum sensu fuisse affectas: ardoris videlicet sensu vexatam fuisse Epulonis, refrigerii gaudio, laxatam pauperis animam. Illum quippe divitem, inquit, in ardore pœnarum & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse non dubitò; sed quomodò intelligenda sit illa flamma inferni ille sinus Abrahæ, illa lingua divitis, ille sinus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii? vix fortasse à mansuetè quærentibus, à contentiosè autem certantibus nunquam invenitur. Hæc distinctè Augustinus, cum de notis, & criteriis discernendi figuratas locutiones à propriis, disputaret. De vitâ autem, motu, sensû, reminiscentiâ animæ à corpore separata, quid Augustinus senserit, fortassis aliunde non constabit liquidius, atque ubi de conditione animarum Nebridii, matrisq; Monica ex instituto disquirat. Vivit Nebridius in sinu Abrahæ. Quicquid illud est, quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus ibi vivit. Ibi vivit, unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem Tuum; & bibit quantum potest, sapientiam pro aviditate suâ, sine fine felix. Nec sic eum arbitror inebriari ex eâ, ut obliviscatur mei, cum Tu Domine, quem potat ille, nostri sis memor. Nunquid postulabitis, Auditores, planiorem ab Augustino sententiam? Arbitrari se, inquit, inebriationem amici Nebridii, ex fluentis domûs Domini, non obliterare reminiscentiâ amici de amico, quin recordetur consuetudinis in terrâ contractæ.

Audemus aliquid magis arduum asserere: Extremo illi iudicio nec veritatem suam nec æquitatem posse constare, si memoria præ-



ECLOGA AD EVANG.

reitorum per dissolutionem animæ & corporis oblitteretur. Ecquid enim vocabitur in quæstionem; cuius sceleris convincentur damnandi? Cuius videlicet unquam à se perpetrati non meminuerunt? neque per naturalem recollectionem & excusationem memoriæ poterunt meminisse? An verò novam memoriæ ipsi inditurus est Instaurator humani corporis, eiꝰ, tot inevitabiles scelerum imagines impincturus, quot quantasq; libuerit? Absit: si indignatur DEUS, si infligit supplicia delictis non cognitis, quomodo poterit esse iudex universi Orbis? protestatur Apostolus. Quicquid itaq; dissimulent damnandi, se ex errore personæ commisisse non committenda, omisisse non omittenda, recordabuntur tamen: non cibasse hunc famelicum, non potasse hunc sitientem, nec vestivisse hunc nudum, nec visivisse hunc infirmum: Et coràm illo tribunali semetipsas accusabunt conscientia, quomodo in hac mortali vitâ solenne ipsis fuit: attestante eodem Apostolo. De quo autem flagitio seipsas accusabunt, si præteritorum memoria perit? Videbunt, in quem pupugerunt, habet Oraculum Propheticum: Quomodo cognoscent autem, cuius unquam visi non recordantur? Si aliud pro alio fortè offeratur, respuimus, inquit B. Augustinus donec illud occurrat, quod meminimus, & cum occurrit, dicimus: Hoc est. Quod non dicemus, nisi agnosceremus. Unde enim adest id quod obliti requirebamus, nisi ex memoriâ?

De recenti reminiscencia statûs pristini ô Φιλονίζων Sapiens: Tunc stabit justus cum magnâ confidentiâ in conspectu eorum, qui afflixerunt ipsum: Hi autem videntes, turbabuntur timore gravi, propter salutem inopinatam eorum. Dicentq; apud seipsos (μστανοῦντες) reminiscentes, & gementes propter angustiam cordis: Hic erat is, quem quondam habebamus pro ludibrio & communi probro. Stulti existimabamus viam ejus insaniam, & finem ejus ignominiosum, Ecce quomodo computatus est inter filios DEI, & inter sanctos fors illius? Quid profuit nobis superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit? Momentum vix abiit, quum diceret Augustinus: Reminiscencia officium esse ut possis dicere; Hoc est. Reminiscencia igitur officium erat, inculcare damnatis; Hic est ille Stepha-

pha-



phanus, Hic Bartholomeus, Polycarpus iste est, quem olim probro & contemptui habuistis, & vitam ejus cum ignominia deperditam. Quomodo igitur nunc computatur inter Filios DEI, & inter Sanctos fors ejus?

Dicetis me Soli lumen fœnerari, Auditores; dicam itaque Latronicè: Aut animam ipsam interire, quamprimum separatur à corpore, aut memoriam præteritorum perseverare necessum est. Quum enim facultates animi ab animâ per realem privationem abstrahere nequeas; Aut animæ facultatem negabis esse memoriam, aut verò dabis, extra societatem corporis, non minus memoriam atque animam ipsam superesse.

Quamquam enim facile largiar, quarundam specierum imagines per sensus introire, memoriâq; ea insigi, quæ vidit, quæ audivit, quæ gustavit, &c. Neq; omnium tamen hospitum, qui amplissimum hoc memoriæ palatium ingrediuntur, eadem est rheda, quâ vebuntur, nec trames unus, quo ingrediuntur: Namq; & disciplinarum memoria est, atque earum rerum, quas neque ullo sensu corporis attingi, nec uspiam vidi præter animum meum, quarumque non imagines sed res ipsas in memoriâ meâ recondidi, ut, cum audio: Tria esse genera quæstionum: An sit, quid sit, quale sit? Sonus quidem ingreditur aures meas, rerum autem imagines intellectu percipio: Cumque percurrerim omnes januas carnis meæ, non invenio, quâ earum ingressæ sint res istæ, monet nos denuò Venustissimus Patrum Augustinus. Atque inde tritisima inter Physicos distinctio inter memoriâ sensualem, quâ & Elephantes, & Canes & leones, animantes denique alias etiam hominibus præstare videmus; & Intellectualem, quâ & numerorum Arithmeticoꝝ, & regularum Geometricarum, & disciplinarum omnium, ipsius etiam oblivionis, recordamur. Ecquæ verò per sensum corporis oblivio ingreditur? quis externorum sensuum recogitanti, dicitur; Hujus an illius nominis olim cogniti se esse oblitum? Res sensibus expositas non nisi ministerio sensuum percipi, nedum perceptas retinere, apertissima insania est. Quis enim tam sit aversus à verò, ut dicere audeat: DEUM corporalia nescire: Nunquid ergò corpus ha-



ECLOGA AD EVANGEL.

bet, per cujus oculos ea posset addiscere? Suggestit iterum de suo Augustinus, postquam dixerat: Ratiocinationem istam Philosophicam, quæ disputant, sola intelligibilia mentis oculo, sola sensibilia corporis sensu videri, & vera ratio & Prophetica rideat auctoritas.

Admittamus igitur, Animarum à corpore separatarum, Beatæq; DEI visione jam fruuentium, non esse deteriorem sortem, atque earum, quæ nec inter Erebi claustra, præteritorum memoriam, ut maximè velint, possunt relegare.

Qv. V.

Quid per sinum Abrahamæ intelligatur?

Verba non accipienda esse, prout jaceant, jam supra demonstravimus, cum hoc argumentum de Lazaro & divite non historicum sed parabolicum ostenderemus: tum ex illis quoque patet, quod sinus Abrahamæ memoretur, qui proprie de corpore affirmatur. Anima equidem sancti hujus Patriarchæ beatorum sedem cælum incolebat sed non corpori juncta; qui ergo Lazarum in sinu tenuerit? Multum E. litis est de eruendo sensu, qui sub sinu Abrahamæ lateat. *Cornelius Jansenius* (cui primas partes Augustinus tenet & doctor irrefragabilis, cujus omnia scripta decies, tricies autem libros ejus de gratia perlegit) episcopo Iprensis in Conc. Evangel. c. CXVII. ex Augustino citat, quod sinus Abrahamæ cujusdam secretæ quietis habitatio sit. Quid autem obstat, quo minus hæc *Jansenii* verba apponamus, quæ ipsam rem aperte exhibeant. *Sinum Abrahamæ*, inquit cit. loc. *Augustinus* ubique explanat esse secretæ cujusdam quietis habitationem, de quo late disserit L. 4. de anima & ejus origine c. 16. sic scribens: quod vero illum Abrahamæ sinum existimas esse corporeum, & per ipsum asseris totum corpus ejus agrosce, vereor, ne in re tanta joculariter atq; irridenter, non serio graviterq; agere credaris.



*daris. Neque enim usque adeo desiperes, ut arbitrareris, corporeum sinum unius hominis ferre tot animos, imo ut secundum te loquar ferre tot corpora bene meritorum, quot illuc Angeli, sicut Lazarum perferunt. Nisi opinaris fortasse, illam veram animam solam ad eundem sinum pervenire meruisse. Si non jocularis & errare pueriliter non vis, sinum Abrahamæ intellige remotam sedem quietis atque secretam, ubi est Abraham. Et ideo Abrahamæ dictum non quod ipse tantum sit, sed quod ipse pater multarum gentium sit positus, quibus est ad invitandum fidei principatum propositus. Hæc ille. Itaque intelligit sinum Abrahami, locum quietis, in quo recipiuntur vel potius recipiebantur omnes imitatores fidei & pietatis Abraham. Secundum Augustinum ergo sinus Abrahamæ dicitur, non quomodo pars aliqua hominis sinus dicitur sed quomodo in mari appellamus loca portubus & quieti apta. Sic Jansenius. Alii de sinu hominis explicatum volunt, quo tamen nondum verum nobis sensum erunt. Omissa diversarum opinionum longiori enumeratione, quæ nobis inens hæreat, paucis indicamus. Nolumus autem ad ritum discumbentium veteribus receptum respici; sed potius parentum sinu liberos foventium imaginem, & paucis profiteamur sinum Abrahamæ notare hæc sinum & regnum gloriosum Dei, quæ nobis Abrahami persona parabolice fuit præsentatus. Non alias est insolens notari Deum in parabolis hominis aut patrisfamilias nomine quid asserere hic dubitamus, Abrahami quoque nomine eundem indicari, quod talia hujus loci Abrahamo tribuantur, quæ soli Deo competant. Abrahami autem titulum præ Adamo aut ullo alio Patriarcharum assumptum volumus, quod in Adamo insignis separatio generis humani facta fuerit; in Abrahami domo autem ecclesia insignior in unum coaluerit. quod ipsum prolixius deducit Magnificus DN. D. Schmid. Pater in Christo & Præceptor meus sancte colendus, Fascicul. dissert. pm. 900. seqq.*



Quæst. VI.

*An ex hoc Evangelio probari possit Laicis  
etiam Lectionem Scripturæ concedendam  
esse?*

Negant id Papalis curiæ mancipia, quæ libros omnes si contra Pontificem quid contineant, & ipsam tandem Scripturam sacram in libris prohibitis reponunt; libros autem obscænissimos e. gr. *Johannis de la Casa*, de laudibus Sodomix, cuilibet legendos permittunt, cum iste in nullo prohibitorum indice appareat. Pro non legenda omnibus scriptura integri quoque libri extant, *Nicolai le Maire* Sanctuarium profanis occlusum; in quo omnem ponit operam probandi, non-clericis sacrum codicem non esse pervolvendum; sed infirmis admodum argumentis; firmiora longe sunt, quibus contra illos decertamus, cum omnibus Scripturæ scrutinium injungitur, Matth. V. 39. omnibus Prophetæ ac Moses audiendi sunt Luc. XVI. 29. Fratres enim divitis, qui procul dubio Laici, horum scripta audire jubentur non saltem ex ore clerici, ceu *Maldonat.* ad h. l. commentatur, sed talia auditione, quæ inter privatos parietes fiat, quæ divitis fratres peccatis plane obrutos ad Deum convertat & inferni faucibus eximat; quod non nuda auris perceptione absolvitur, cum multi verbum tali pacto audiant nec tamen convertantur Jac. I. 22. Sed & lectione, meditatione, ut per aures oculosque in animum penetrent oracula divina. Nam & animus aures habet; quibus ut arcana sacra capiantur, mea quin submississima vox sufficit. conf. *Unser Keiser der Lutheraner ins Pabstthumb* p. 241. ubi hæc prolixius explicuimus.



Quæst. VI.

*An ex hoc Evangelio probari possit Laicis  
etiam Lectionem Scripturæ concedendam  
esse?*

Negant id Papalis curiæ mancipia, quæ libros omnes si contra Pontificem quid contineant, & ipsam tandem Scripturam sacram in libris prohibitis reponunt; libros autem obscænissimos e. gr. *Johannis de la Casa*, de laudibus Sodomix, cuilibet legendos permittunt, cum iste in nullo prohibitorum indice appareat. Pro non legenda omnibus scriptura integri quoque libri extant, *Nicolai le Maire* Sanctuarium profanis occlusum; in quo omnem ponit operam probandi, non-clericis sacrum codicem non esse pervolvendum; sed infirmis admodum argumentis; firmiora longe sunt, quibus contra illos decertamus, cum omnibus Scripturæ scrutinium injungitur, Matth. V. 39. omnibus Prophetæ ac Moses audiendi sunt Luc. XVI. 29. Fratres enim divitis, qui procul dubio Laici, horum scripta audire jubentur non saltem ex ore clerici, ceu *Maldonat.* ad h. l. commentatur, sed talia auditione, quæ inter privatos parietes fiat, quæ divitis fratres peccatis plane obrutos ad Deum convertat & inferni faucibus eximat; quod non nuda auris perceptione absolvitur, cum multi verbum tali pacto audiant nec tamen convertantur Jac. I. 22. Sed & lectione, meditatione, ut per aures oculosque in animum penetrent oracula divina. Nam & animus aures habet; quibus ut arcana sacra capiantur, mea quin submississima vox sufficit. conf. *Unser Reiserer der Lutheraner ins Pabstthumb* p. 241. ubi hæc prolixius explicuimus.



05 A 2487

ULB Halle

3

004 545 249



5b

1077









50/21

Q. B. V.  
ECLOGA EVANGELICA  
AD EVANG. DOM. I.  
POST TRINITAT.

Qvam,  
SUB PRÆSIDIO  
JO. FRID. MAYERI,  
S. THEOL. DOCT. PROF. P. ALUM-  
NORUM ELECTORAL. EPHORI ET TEM-  
PLI OO. SS. PRÆPOS. SUBSTITUTI

*sententiarum collationi subjiciet*  
PETRUS QVAALMANN, Lubecensis  
d. XII. Junii Ao. clc lcc LXXXVI. horis Pomeridianis  
H. L. C.



WITTENBERGÆ  
Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

